DE CRISIOLOGIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XVIII. M. MAJI A. MDCCCXLIX
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
ADOLPHUS CAROLUS FEIT
BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

E. ALBRECHT, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.
A. STURM, MED. ET CHIR. DR.
A. KULLAK, PHILOS. DR.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

PIIS PARENTUM MANIBUS.

§. 1.

Doctrina de crisibus et criticis diebus tam multiplicem per secula tractam provocavit controversiam, ut tandem aliquando, postquam peritissimi quique medici, quidnam de iis censerent, scriptis tradiderunt, litem si minus plane compositam esse, certe ad dijudicationem propius accessisse, facile credideris. Quamvis enim suos quaeque sententia nova et sectatores et adversarios pertinaces insanabilesque habuerit, veritatem tamen e certamine victricem et quodammodo firmatam plerumque discessisse, negari nequit. Cujus rei exempla multa exstant, velut controversiae de stimulatione deque contrastimulatione, de homoeopathia, de gastritide omnibus in morbis posita, de Arsenici usu, de multis aliis, quae omnes dissertando partim absolutae et ad certam dijudicationem provectae, partim plus minus explanatae et illustratae sunt. At in crisium theoria res longe aliter se habere videtur. Quicunque enim longam librorum hac de re conscriptorum seriem vel obiter perlustraverit, ab Hippocrate ad Schoenlein summa ingenia fuisse, qui crises posuerint, neque minus ab Asclepiade usque ad Henle summa ingenia non defuisse, qui negarint, neque alteram partem alteri tam longo temporis spatio quidquam concessisse, imo vero, quo serius eo acrius obstitisse, mirabundus animadvertet. Verum difficultates celari non queunt. Ea

enim est criseos notio, quae et medicorum practicorum observationibus et theoreticorum deductionibus nitatur. Praeterea ex summis in Arte definitionibus, scilicet morbi, sanitatis, sanationis, pendet. Attamen quaenam est tam longi discriminis caussa? Utrum praxis, veris quidem tamen parcis et singularibus factis abusa, per methodum syntheticam de omnibus aliquid contendit morbis, quod de nonnullis tantum statui potuit? An theoria cum crises diesque decretorios ratione satis explicare nequiret, facta etiam temere negavit? An diversa tandem, ut haud raro fit in controversiis, variis seculis rei objectae exstitit definitio? Facile enim, si cui facta desunt, definitio a priori construitur, quae adversariorum rationes refutet. Quod tamen certaminis genus quia displicet res sincere perscrutantibus, nihil aliud jam restat, quam ut primum quidem quasnam peritissimus quisque medicus crises habuerit, et quanam ratione secundum suam aut seculi theoriam medicam eas explicaverit, neque minus quinam medici, quibusque rationibus eas refutaverint, inquiramus. Historiam igitur notionis criseos et certaminum de iis institutorum dico. Deinde vero, quidnam tota crisium theoria praxi vel profuerit vel nocuerit, quaerendum est.

§. 2.

De vetusta quadam criseos notione.

Hippocrates librum Praenotionum incipiens „Ille medicus, inquit, optimus esse mihi videtur, qui ad providentiam sibi comparandam omne studium adhibeat, cum enim praesenserit et praedixerit apud aegros tum praesentia tum futura, et quae aegri omittunt, exposuerit, res utique aegrorum magis agnoscere credetur, ut majore cum fiducia sese homines medico committere audeant. (Epi-

dem. I, editio Foësiana II, 948. Summa cura anniti oportet ut praeterita enarres, praesentia cognoscas et futura praedicas). Et ex his verbis omnibusque libris Praenotionum coacarum, ex Praedictis tandem facile conjicitur medicos priscos prognosi recte constituendae summam operam impendisse.

Quare cum in observandis et distinguendis morborum stadiis maxime excelluerint, mirum non est, quod ex quibuscunque signis de morbi eventu *judicium* (*κρισιν*) componi posse arbitrabantur, ea data opera collegerint et in usum vocaverint. Teste enim Galeno (Galen. Comm. 3 in Progn.) medici prisci in prognosi statuenda verbum criseos a judicibus sententiam ferentibus usurpaverunt et de foro ad grabatum transtulerunt. Exstant etiam loci, e quibus, crisium verbo nihil aliud nisi rectum judicium a medico de morbi statu latum significari, plane elucet, velut Aphorismus primus: *Ὁ βιος βραχυς ἡ δε τεχνη μακρη, ὁ δε καιρος ὀξυς, ἡ δε πειρα σφαλερη, ἡ δε κρισις χαλεπη.* aut in primordio jurisjurandi: *Ὀμνυμι . . . . . ἐπιτελεα ποιησειν κατα δυναμιν και κρισιν ἐμην.* Ac de aphorismo primo quidem Galenus (in Comm. ad Aph.) *κρισιν* hoc loco nihil aliud quam *λογον*, rationem esse scribit, qua tamquam arbitra de morbi statu et curationis methodo decernatur et judicium fiat. Hoc igitur sensu medicus ipse crisin habebat. Qui tamen verbi usus eo tantum tempore valuit, quo pathologia, quae dicitur, humoralis non increbuit, aut sequenti tempore apud eos medicos, qui a pathologia humorali maxime abhorruerint, Empiricos dico. Hos enim *την κρισιν* tunc usque auxiliorum, quae per experientiam inventa sunt, delectum et dijudicationem significare, Galenus tradit.

§. 3.

De pathologiae humoralis nexu cum crisium notione.

Jam ante Hippocratem pathologiae humoralis rudimenta increbuerunt, quae primum quidem *καταῤῥοους* illos morbos demonstrabant. Nimirum catarrhorum, rheumatismorum, tabium, diarrhoearum, inflammationum oculorum caussam mucum quendam habebant medici, de cerebro, tamquam glandula, ad corporis partes morbo affectas profluentem. Cui opinioni Empedocles doctrinae speciem dedit, humores quattuor supponens, sanguinem, mucum, bilem atram flavamque, ex quibus elementis corpus humanum constaret. Quem secuti Thessalus, Polybus, Praxagoras humorum quidem numerum secundum suum quisque arbitrium mutabant, humores tamen omnino corporis elementa habebant, eorumque ex vitiis morbos originem ducere asseverabant. Ante omnis morbi invasionem humorem aliquem praevalere, aut crudi aliquid et intemperati in corpore existere credebant, quod singulari quodam naturae motu sanis humoribus assimilaretur, sive ita mutaretur, ut dein per ipsum morbum e corpore ejiceretur. Salutarem hanc naturae actionem cum ciborum coctione comparabant, positisque morborum stadiis tribus, primum cruditatis, secundum coctionis, tertium criseos stadium appellabant. Proinde crisis secundum hanc theoriam humoralem non est, nisi naturae conamen morbi materiam e corpore ejiciendi, quo sive solvebatur omnino morbus, sive aeger propter corporis imbecillitatem alium morbum subibat, sive moriebatur (quoad criseos notionem) satis aequum erat. Fundamenta tamen criseos, materiae cujusdam peccantis et vis salutiferae naturae

notiones habebantur, quibus de quandocunque circa crises certabatur, litem institutam reperimus.

Tali modo, adhibitis insuper Hippocraticis locis, crisium doctrina ex pathologia humorali deduci solet. Manifeste quidem apparet, hanc cum illa arcte connexam esse, alteramque ab altera suppleri; verumtamen pathologiam humoralem revera priorem exstitisse, certe dubium est, cum argumenta haud levia sint, quibus crisium observationem ipsis factis nisam theoriae illi ampliori antecessisse satis eluceat. Empedocles enim quatuor humores ponendo jam non pathologiam humoralem posuit, postea tamen cum materia in morbis peccans cruda intemperataque statuta esset, talis revera facta est. Ac materiam quandam peccantem corpori aegroto inesse, facilius putet quicunque magnam aegrorum sublevationem post criticas illas dejectiones in acmes stadio observaverit, quam qui humores tantum statuit corporis elementa. Ceterum crisium notio si ex pathologia humorali tota orta esset, omnino quando earum mentio fit, humorum theoriae responderet oportuit. Quod tamen ut fiat tantum abest, ut in Hippocrate totidem loci reperiantur, qui humorum pathologiae respondeant, quam qui ab illa plane abhorreant. Recentiori denique tempore, cum pathologia humoralis plane absoleta esset, crises nihilominus statuebantur, quod, si crisiologiae fundamentum pathologia humoralis esset, satis ineptum fuisse, nemo negabit. Quis enim tabescente arboris trunco ramos sustinebit? Verum enim vero cum saepe fiat, ut de factis veris theoria aliqua prava deducatur, mirum non est, quod pathologia humorali, tamquam falsa deductione, jam refutata, fundamentum tamen, scilicet crisiologia, agnosci queat.

Reliquum est, ut, ad opinionem nostram fusius illu-

strandam, crisiologiam Hippocraticam, cum quoad pathologiae humorali respondeat tum vero quoad ab illa abhorreat, explicemus. Quo facto pathologiae humoralis fundamenta in iis potissimum libris reperiri, qui Hippocratis quidem nomine feruntur, post eum tamen conscripti habentur, probabimus.

§. 4.

De Hippocratis crisiologia.

Librorum Hippocraticorum hos tantum ut genuinos in Hippocratis crisiologia explicanda sequemur: libr. de morbis popularibus I et III, Aphorismos, Prognosticon, libr. de diaeta acutarum, libr. de aëre aquis et locis, libr. de capitis vulneribus. Exstant quidem praeter haec multorum scriptorum testimonia de Hippocratis crisiologia, velut libri spurii H. de humoribus, de diebus criticis, de crisibus (quem librum eo consilio genuinum prope dixerim, quod maximam partem locos genuinos continet), liber IV de morbis, praesertim etiam Galeni libri de crisibus deque diebus decretoriis, ejusque Commentaria in libros genuinos H., in quibus certe uberius, quam in Hippocrate ipso explicatur, quaenam crises habendae, quae earum virtutes, opportunitates, rationes. Quos tamen libros omnes opiniones et sententias a posteriori tempore Hippocratico intemperantius continere, quis est quin sciat. Hippocratis igitur si quis noscere volet crisiologiam meram, illos tantum fontes adhibeat oportet. Neque tamen in hac re singulari Hippocratis scribendi genus paullulum obstare diffitemur. Res enim simpliciter narrando, observationes absolutas statuendo, Hippocrates raro tantum, velut in primordio morbo-

rum popularium de illis ratiocinatur, rarius conjecturas ad pathologiam generalem praebet.

Quod vero ad hanc attinet, recte quidem Galenus (Comm. I. ad libr. de artic. p. 579) Hippocratem tradit morborum caussam numquam ex rationibus derivasse, sed factis observationibusque perspicuis deduci, prudentiae convenientius habuisse. Verumtamen ipse Galenus talem quandam opinionem Hippocrati affingit, auctorem eum craseologiae esse dicens (Comm. in libr. de nat. hom. p. 11). Tale quid in libris genuinis nusquam, ceteroquin in posterioris temporis libro de natura hominis adumbratum reperitur. Potest quidem fieri, ut Hippocrates, elementa mechanice sese penetrare non posse ratus, ex chemico quodam principiorum elementarium connubio corpora viva emanare putaverit, nec adeo ex elementis, quam ex qualitatibus elementorum phaenomena vitae petiverit. Neque vero hoc scriptis manifeste tradidit.

Tria tamen theoremata praeter crisiologiam raris quidem, tamen genuinis, locis traduntur, quorum ea de calido innato et de spiritibus Hippocrati propria, illud tamen de humoribus per eum ab Empedocle assumptum esse creditur. *Calidum* enim *innatum* (*θερμον ἐμφυτον*) quoddam uno tantum loco memoratur, videlicet in aphor. 14, sect. I. „Quae increscunt plurimum calorem innatum obtinent, plurimo igitur indigent alimento, alioqui corpus absumitur. In senibus vero cum paucus calor insit, hi idcirco paucis sane fomitibus indigent, a multis namque exstinguuntur. Eandem etiam ob caussam neque senibus, quod eorum corpus sit frigidum, febres perinde acutae contingunt. Per hiemem et ver ventres natura calidissimi somnique longissimi. Per ea igitur tempora copiosiora

cibaria exhibenda, siquidem plurimis est calor nativus, ideoque copiosiore indigent alimento. Quod indicant aetates et athletae." Ex hoc quidem loco satis difficile est, quid tandem illo calido innato significetur, definire. Potest esse calor vitalis, vis vitalis. Ceterum cum hoc aphorismo singulari librorum spuriorum alii conjunguntur loci, velut (De carnib. Foës. I, 249): Quod calidum vocamus, id mihi immortale esse videtur cunctaque intelligere, videre et audire sentireque omnia tum praesentia, tum futura." Contra in libro de prisca med. (F. I, 15) calidum nullam vim peculiarem quam salsum, amarum, aliaque agentia habere, contenditur. At hoc calidum, quo obscurius est, eo libentius medici posteriores pro suis sententiis usurpaverunt. Illius enim aphorismi (I, 14) memor jam Celsus (in Praef.) ab Hippocrate traditum esse asseverat, calido innato cibos digeri (cf. coctio, *πεψις*, *πεπασμος* in Dictionar. med. vel Exposition. vocum medicinal. ad verbum excerpt. ex Hippocrate, Aretaeo, Galeno, Oribasio, Rufo Ephesio, Aëtio, Alex. Tralliano, Actuario, Cornel. Celso cum latina interpretatione. Paris. 1564, excl. H. Stephanus, in Bibl. Regia Berol.), multi vero alii sententiam in crisiologiam cupide adhibentes, calido vim naturae medicatricis significari, arbitrati sunt. Ceterum *divinum* illud, quod morbis interdum inesse Hippocrates censet (Prognost. F. I, 36) alii calidum innatum esse putant, alii idem esse volunt quod *spiritum*, cujus mentionem H. aliquoties fecit. Nimirum in diaeta acut. (F. I, 397). „His sane, inquit, adhibitis fomentis statim per initia venam secare convenit, cum adhuc sublati sunt qui affligunt tum spiritus tum humores." Unde tum spiritibus tum humoribus quibusdam homines affligi, illosque tamquam morborum

caussas esse, elucet. Attamen hic etiam spiritus quisnam sit, quae ejus virtutes, valde obscurum est, cum paullo ante illum locum contrarium contendatur (F. I, 396): ex spirituum interceptione apoplexiam contingere (*ὑπο πνευματων ἀποληψιος τα παθηματα ταυτα ὑπογινεται*). Quae sententia post Hippocratem fusius tractata in libro de flatibus (F. I, 296, 301) obvenit. Verum his omnibus sub opinionibus et spiritum et calidi divinique, sententias quarum nullam certe habuerit Hippocrates conjecturam, posteriori tempore subjectas esse jure adnotat vir Ill. Hecker (Encycl. Wörterb. der med. Wissenschaft. XVI, 538).

De *humoribus* denique, quamvis post Hippocratem totus libellus scriptus sit, pauci tantum loci genuini exstant. V. Diaet. acut. (F. 1, 397) „cum adhuc sublati sunt, qui affligunt, tum spiritus tum humores." Ibidem: „Cum dolores accesserint, bilis atrae acriumque humorum affluxiones fiunt." Ac hic quidem locus eo consilio gravis habendus est, quod morborum dolores, fortasse etiam morbi ipsi, humoribus tribuuntur. Acres humores alios esse, quam cetera tria Empedoclis elementa, verisimile est. Praeter bilem atram sanguis tantum ut humor elementaris citatur Epid. I (F. II, 952): „Multis igitur praecipueque hic humor (sc. sanguis) fluctabat." Verum tamen quamquam bilis flavae et muci tanquam humorum principum mentio non fit, per analogiam concludere licet Hippocratem quatuor illa Empedoclis elementa accepisse.

Crisium tandem observationes longe plurimae in libris de morbis epidemicis reperiuntur. Tria morbi stadia in febribus acutis Hippocrates posuit: stadium cruditatis, coctionis, criseos, quae inter se maximam partem secretis

crudis, coctis criticisque distinguuntur (Progn. F. I, 40. „Quoad urina fulva fuerit et tenuis, crudum esse morbum indicat. Quodsi diutius talis urina perseveret, periculum est, ne non possit aeger sufficere, quoad urina concoquatur."). Secreta cruda coctis opponuntur, criticorum vero eadem quam coctorum est qualitas objectiva (Epid. I, F. I, 948. Concoctiones judicationem brevi fore et certam salubritatem portendunt. Cruda vero et incocta judicationis cessationem significant). Ac de criseos natura quidem quid putaverit Hippocrates, ex aphorismo illo gravissimo XXI optime cognosci videtur. *Τα κρινομενα και τα κεκριμενα αρτιως μη κινεειν μηδε νεωτεροποιεειν μητε φαρμακοισι μητ' αλλοισιν ερεθεσμοισιν, αλλ εαν. Ἁ δει αγειν, ὁκου αν μαλιστα ῥεπη, ταυτῃ αγειν δια των ξυμφεροντων χωριων. Πεπονα φαρμακευειν και κινεειν, μη ὠμα μηδε εν αρχῃσιν, ἠν μη οργᾳ, τα δε πλειστα ουκ οργᾳ. Τα χωρεοντα μη τῳ πληθει τεκμαιρεσθαι, αλλ ὡς αν χορεῃ, οἱα δει και φερει ευφορως ὁ νοσεων.*

Ac primum quidem agendum esse quoddam in morbis solvendis, quod variis viis educi possit, elucet. Sudores igitur, alvi dejectiones, urinae, licet critice mutatae, non ipsae per se movendae sunt, quoniam suam quaeque excretio viam unicam tenet, de qua dici nequit *ὁκου αν μαλιστα ῥεπη*, sed illud *κρινομενον* et *κεκριμενον* educendum est *ὁκου αν μαλιστα ῥεπη*, hoc est sive per urinas, sive sudores, sive per alias vias. Haec autem est morbi *materia peccans*, qua statuta humoralis pathologiae fundamenta nituntur. Itaque ex crisium observatione, vel fortasse ex illius potissimum aphorismi theoriis tota pathologia humoralis.

Deinde vero, cum secretorum qualitas eadem sit in

coctione quam in crisi vel potius cum in crisi secreta cocta una cum invisibili illa materia peccante efferri oporteat, criseos ipsius hoc signum ab Hippocrate positum esse creditur, *quod aegrum post judicationem bene se habere oporteat.* Ac sane quidem, quicunque materiam quandam peccantem statuit morborum caussam, crisesque eas habuit, quibus illa una cum secretis coctis e corpore edatur, post crisin morbum sublatum, aegrumque bene se habere necesse est credat. Quo factum est, ut posteriori tempore eae tantum morborum accessiones haberentur crises, quibus morbus plane sublatus esset. Quod tamen, etiamsi omnibus locis consentientibus comprobaretur, satis ambiguum esset ipsa crisi praesente, cum eventu tantum statueretur, ecqua crisis fuisset. Ceterum de hac definiendi ratione quid Henle disseruerit, infra tractabimus. Verum enim vero illi crisium signo multa Hippocratis et placita et exempla obstare, fatendum est. Primum quidem quatuor eventus post crises ab Hippocrate ponuntur; judicationes enim dicit ad salutem aut ad perniciem tendere, vel momenta in melius aut deterius facere (Epid. I. F. II, 965). Atque in libro de aëre, aqua et locis (F. I, 288) morbi, inquit, judicationem subeunt et alii quidem perimunt, alii vero desinunt, aliique omnes in aliam formam et statum transeunt. Quod ut exemplis etiam adumbremus, notandum est, complures judicatos vocari ab Hippocrate, quibus varia incommoda eademque saepe gravia post crisin acciderint, quorum nonnullos etiam mors abstulerit. Sic in Thaso febres diebus judicatoriis insultus habuisse et in deterius processisse narrat (F. II, 945). Metonem (Epid. I. F. II, 983) judicatum die V pronuntiat, cui nihilo minus post crisin pervigilium et delirium leve nonnumquam affuit, a quibus non nisi cre-

briori narium haemorrhagia est liberatus. Clazomenium, licet die XX judicatum, visu hebetiorem cum oculi dextri dolore e morbo constitisse tradit. Euryanactis filiam (Epid. III. Foës. II, 1073) narrat die VI judicatum postea obiisse. His in casibus quae crisium fuerit qualitas immanens, aegre videndum est, quae tamen non fuerit, eo magis perspicitur. Etenim non fuit, quod aeger bene se habuit, et morbi caussa, materia peccans remota est. Ceteroquin cur tandem Hippocrates in ultima morbi historia, factis jam crisibus, toties subjungit *οὐκ ὑπέστρεψε*, nisi quod etiam post judicationem febrem revertere aut morbum durare posse arbitratus sit. „Quae per morbos post crisin intus relinquuntur, morborum reversiones facere consueverunt." Quem aphorismum in Epidemiis fere quinquies repetit, hunc eo intelligi volunt nonnulli, quod *crises imperfectae* ab Hippocrate innuantur. Simili modo etiam *polycrisiae* explicari jubent. Etenim in uno eodemque morbo complures crises fieri posse, Hippocrates et generatim dicit et exemplis compluribus affirmat. (Aphor. F. II, 1251: quae abscedunt si *primis crisibus* non solvuntur; — Diaet. Acut. F. I, 385: praeterea crises simpliciores fiunt meliusque judicantur et minus revertuntur; Epid. I. F. II, 956 et 958 ubi multis aegrotis ex reversione duplex crisis orta esse dicitur; duas crises habuit Herophon, Epid. I. F. II, 974 (cf. Galeni, Comment. libr. III, 20); Anactio Epid. III, Sect. 3, aeg. 8. F. II, 1104; et ut videtur aegra XII. F. II, 1110; quin etiam tres crises ostendit Chaerion, Epid. III, Sect. II, Aeg. V. F. II, 1072.)

Harum quoque priores contendunt imperfectas crises fuisse, quod in ultima *τέλειος ἐκρίθη* addere soleat Hippocrates. Nihilominus tamen valde dubium est, an illis

verbis imperfectas crises statuerit, et an omnino eae esse possint. Ceterum quid haec ad rem? Qui enim polycrisiarum difficultatem deplorantes crises imperfectas Hippocraticas statuunt, veram crisin esse morbi solutionem perfectam, eo ipso fatentur. Neque vero illa est definitio recta criseos Hippocraticae, cum, ut jam supra memoravimus, post (perfectas) crises aut sanatio aut mors, aut propensio in melius aut in deterius fieri queat. Status autem novus nova crisi mutari potest. Ceterum jam accedit *acrisiae* difficultas, qua crisin nec perfectam nec imperfectam morbi solutionem, nedum processum aliquem morbi caussas removentem et ad sanationem necessarium esse, prorsus evincitur. Nimirum in febribus acutis saepe nullam fuisse crisin, Hippocrates candide profitetur. Epid. I. F. II, **941**: „Est ubi ne sic quidem sed errabunde et nulla observata crisi morbi desinerent." Epid. I. F. II, **945**: „*Plerosque* vero omnes sine crisi morbi deserebant," et paulo post: „cum multa esset variaque acrisia" — et in Epid. III. F. II, **1083**: „crisium cessationes multae fuerunt et difficiles." Lethalem quoque exitum acrisiam habuisse hoc loco patet (Epid. III. F. II, **1085**): „Multae urinae neque judicatorii neque boni quidquam habebant" quarum qui participes fuerint, aegros omnes mortuos esse postea prodit. Deinde demum (Epid. III. F. II, **1086**): „Nam et multis probae per vesicam expurgationes bono sunt, plurimis vero colliquationem et perturbationem et dolores et moram et judicationis cessationem portendebant." Quamvis igitur ne in febribus quidem acutis materia peccans secerneretur, tamen aegri sanati sunt.

Quam rem ut breviter repetamus, quatuor casus existere patet. Multi aegri crisi sanati, non pauci crisi vel

multiplici in deterius abierunt aut obierunt, permulti sine ulla crisi sanati, multi sine crisi mortui sunt. Unde igitur quaestio gravissima oritur, quaenam tandem sit criseos Hipp. qualitas et natura essentialis et immanens. Quae criseos caussa? Quae necessitas? Quorsum spectat? Ad quas interrogationes crisium signis adhibitis melius responderi posse qui opinetur, facile refutatur. Nam et haec quoque, quoad ab Hippocrate traduntur, non ita consentiunt cum exemplis in morbis epid. allatis, ut inde certa quaedam criseos imago depingi possit.

Urinas, sudores, alvi dejectiones crisium signa longe praestantissima esse, multis ex locis Hipp. elucet (Aph. 12).

In Acut. Diaeta (F. I, 396) urinae albae, crassae cum sedimentis laevibus laudantur et modo postea (F. I, 401) urinae crassae et acres malae habentur. Urina optima est, ex qua per omne tempus quoad morbus judicatus fuerit, subsidet album laeve et aequale, — quoad autem fulva fuerit et tenuis, crudum esse morbum indicat (Progn. F. I, 40). At urinae albae et tenues valde pravae dicuntur. Funestiores sunt urinae foetidae et aquosae et nigrae et crassae. Ad haec in viris quidem et mulieribus urinae nigrae, in pueris aquosae, deterrimae. Et febrium ardentium malos exitus describens (Epid. I. F. II, 954). Urinae, inquit Hippocrates, his erant nigrae et tenues et paucae. Attamen cum iisdem nigris urinis et servatos aegros et crisin bonam factam esse legimus. Metoni enim (Epid. I. F. II, 983) urinae subnigrae erant, tam ante quam post crisin. Huic morbus non revertit. Mulier in Thaso austera et aspera (Epid. III. F. II, 1108) urinas nigras et tenues habuit et ἐναιώρημα die III, et eadem nocte sudoribus et catameniis judicata est. — Herophon (Epid. I. F. II, 974) urinas primum nigras

deinde melius coloratas habuit, et bis judicatus est. Epicratis uxor (Epid. I. F. II, 979) urinas primum nigricantes dein melioris coloris, postea crassas turbulentas, subrubras, sedimenta non facientes habuit, tamen prorsus judicata est. Simili modo et Herophytus (F. II, 1106) et Nicodemus (F. II, 1108) post urinas nigras a febre judicatione absolutus est. Hinc illud urinae signum haud ita certum esse apparet (cf. Prosp. Alp. Lib. 7, c. 14, de praesagiis).

At Hippocrates, quippe qui raro ratiocinetur, sed facta simpliciter enarret, hanc quoque, quae nobis videtur, contradictionem non explicat. — *Sudorum* etiam signum cum nonnullis importunitatibus complicatum est. Summum enim momentum judicatorium non in iis ipsis, sed in eventu et in die, quo contingunt, positum est. „Sudores febricitantibus boni, qui coeperint die 3, 5, 7, 9, 11, 14, 17, 21, 27, 31, 34, ii enim sudores morbos judicant (Aph. F. II, 1250)." „Sudores optimi, qui diebus judicatoriis oriuntur et penitus febre liberant (Progn. F. I, 38)." Ceterum sudores calidi laudantur quique toto corpore oriuntur. — Exempla tamen in libris de morbis epidemicis traduntur, quae illi theoriae non respondeant. Quod enim ad dies judicatorios attinet, in Epid. libro I traditur aegram VI, die 18; aegrum XI, die 6 in libro III, sect. II aegrum I, die 2; in sect. III aegrum VI, die 4; aegrum X, die 24; aegrum XII, die 6 judicatum esse. Quorum sanati sunt aegra VI (Ep. I); aeger VI (Epid. III, Sect. III); aeger X et XII. Animadvertendum est, sudorem aegro XII (Epid. I), die 7 ortum, nec minus sudorem aegro X (Epid. III, Sect. 3), die 20 ortum, temporis gratia febris solutionem portendere, falso creditum esse. Simili modo in Epid. libro IV, F. II, 1123, su-

dorem perperam judicatorium existimatum mors celeriter secutus est. Exstant etiam crises sine ullo sudore factae, quorum una (Epid. I, aeg. X) statum meliorem, duae (Epid. III, sect. 2, aeg. II et VI) deteriorem portendebant. Attamen diffiteri nequimus, quae sudoris boni et critici traduntur signa, ea exemplis in Epid. omnino respondere.

Porro quidem signa habentur critica alvi dejectiones crassiores subfulvae neque admodum graveolentes, admixtis lumbricis (Progn. F. 1. 39. Acut. Diaet. F. 1. 385), sputa madescentia et matura et crassa (Ac. Diaet. F. 1. 385. Epid. III. Aeg. I), abscessus (Aphor. F. II. 1251, Acut. Diaet. F. I, 396, 401; Epid. I, F. II. 948; Progn. F. 1. 45), tumores (Progn. F. 1. 38.), suppurationes (Aph. F. II. 1253), somni aequales, (Acut. D. F. 1. 401, Epid. III. S. III. aeg. XI; Prog. F. 1. 44) sanguinis e naribus ruptio, (Acut. D. F. 1. 396; Epid. 1. F. II, 951) testiculorum contensio, (Progn. F. 1. 39; Acut. D. F. 1. 396). Partionem quoque et abortionem ab Hippocrate crisin nominatam esse ferunt. Hoc quidem, quam gratum fuerit ad opinionem refutandam, qua crisiologiam Hippocraticam ex pathologia humorali emanasse contenditur, plane negandum est. Etenim ex locis, qui hunc in finem afferuntur, vel potius trahuntur, hoc minime concludi potest. Locus genuinus in Prognostico (Ed. F. 1. 44; Ed. Linden 1. 466.) his verbis continetur: „De morbis ad judicationem tendentibus tum ex tempore tum ex unaquaque adjectione conjectura facienda est. Ad eandem autem rationem et mulieribus judicationes ex partu contingunt." Apparet, hoc de ratiocinatione crisium post partum dici. Loci vero spurii in libro de septimestri partu reperiuntur (F. 1. 256, 257) ubi semper de partus et abortionis tempore indicando et ratiocinando agitur.

Quae tamen omnia signa in una eademque crisi contingere nec posse nec oportere, affatim patet. Ac sudoris signum certissimum diebus criticis adnexum est, qui febris paroxysmis fere correspondeant. Crisium igitur Hippocraticarum observatio febrium periodis niti videtur. Videtur etiam crisis processus pathologicus Hippocrati esse, cujus tamen existentia, necessitas, natura, licet in aphorismis statuantur, exemplis in libro de morbis epidemicis partim definiri nequeunt, partim prorsus negantur. Omnino vero exempla in libris de morbis epidemicis prolata saepe multisque modis theoriis obstant, quae in aphorismis et in prognostico ponuntur. (cf. Landré-Beauvais, Dictionnaire des sciences médicales, T. VII, pg. 389). Hinc illa difficultas crisiologiae absolutae Hippocraticae statuendae, hinc illa certamina non dijudicanda, in quibus pars altera aphorismis potissimum et Prognostico, altera vero morbis epidemicis praesertim confidat, cum utraque crisium neque definitionem certam, neque necessitatem veram secundum Hippocratem sine contradictione afferre queat.

§. 5.

Dogmatici, Alexandrini medici, Empirici quid de crisiologia putaverint.

Factis ab Hippocrate copiose collatis posteri jam morborum observationem negligentes, theorias, inter eas crisiologiam potissimum tractabant. Quatuor autem crisiologiae momenta post Hippocratem praesertim colebantur. Ac primum quidem dierum criticorum series ad fastidium usque terebatur, in qua ratiocinanda numerus IV secundum Pythagoram maxime florebat. Deinde humores corporis elementa prorsus credebantur, quorum mixtione prava,

ex cibis incommodis oriunda, morbi effici putabantur. Crisi autem illam mixtionem exaequari. Hinc tamen modo medicamentorum purgantium abusus exstitit, quippe quibus materiam sive humorem praevalentem et peccantem, eoque ipso morbum, expelli crederetur, quamvis jam Hippocrates purgantia ne temere praeberentur admonuerit (Acut. Diaet. F. I. 403), nihil enim interesse, quanta, sed qualia prodirent. Illum tamen abusum Romae quidem ab Asclepiade postea inhibitum esse Celsus narrat (C. III, 4; lib. V. praef.).

Deinde vero criseos caussa vis illa medicatrix naturae habebatur, et crisis tandem ipsa nonnisi morbi solutio perfecta erat. Reperitur quidem etiam tunc Hippocratica theoria vetusta de IV criseos eventibus (in libro *περι παϑων*, F. I. 517), „judicari morbi dicuntur cum increscunt aut exolescunt, aut in alium transeunt aut desinunt;" attamen opinio, crisin esse solutionem morbi, longe praevalet. *κρισις ἀπολυσις νοσου* (*παραγγελιαι* F. I. 28). Et in libro IV Epid. (F. II. 1123) sudor ille eam tantum ob rem falso judicatorius credebatur, quod aeger post eum mortuus esset.

Igitur haec potissimum schola dogmatica, cujus principes fuerunt Thessalus, Draco, Polybus, Diocles, Carystius, Praxagoras, observationibus haud ita fidis innisa, et mente omnia intelligi et definiri posse rata, pathologiam humoralem profitebatur.

Stoicorum vero philosophia physices cultura excelluit. Naturam noscendam esse docuit et demonstravit ingens Aristoteles. Cujus tamen ope, dum artes adjutrices scientiae medicae colerentur, Herophilus et Erasitratus systema pathologicum dogmaticorum subverterunt, cum docuissent, non ex humorum mixtione depravata,

sed ex errore loci humoris et spiritus morbos petendos esse. Ideo jam ex alia morbi explicatione alia exstitit de crisibus opinio.

Empirici tandem medici, crisiologiae fastidiosae et ratiocinationum Dogmaticorum pertaesi, prorsus omnia figmenta de crisibus, de actione elementorum deque vi medicatrice naturae spreverunt, solisque observationibus ducti medicinam exercuere. Verum enim vero cum Hippocratis normam sequi opinarentur, rationis semitam, quam ille trivit, diruerunt, naturam impenetrabilem docentes. Crisis igitur his, teste Galeno, auxiliorum, quae per experientiam inventa sunt, delectus et dijudicatio fuit.

§. 6.

Methodistarum oppositiones contra crisiologiam.

Romae methodistarum schola primam instituit oppositionem contra crisiologiam Hippocratis. Inter praecipuos adversarios enitet Asclepiades et qui eum secutus est Celsus. Ille quidem, omnino Hippocratis studium *θανατου μελετη* vocans, ejusque cessationem et otium (illud *μηδεν διδοναι, ἀλλ' ἐαν*) et positam in medicatrice natura fiduciam vituperans, crisium doctrinam et ipsam notionem plane rejecit. Qua de re Galeni verba acerbissima exstant (G. de crisibus III, 8): „Si vero conantibus nobis unde haec inveniamus edocere, quispiam in contradictionibus exercitatus, qualem habitum admirabilis Asclepiades acquisivit, impediat ac sermonem meum interrumpat, meminisse oportet, quod hic istud agens, non rem ipsam, sed verba, quae de ea dicuntur, cavillatur. Neque enim quod nullae repentinae turbationes fiant aliquando circa corpus aegri, potest asserere Asclepiades, neque quod saepius post ipsas

effatu dignae excretiones non eveniant, neque quod magna ex ipsis non sit facta in aegrotantibus permutatio, neque quod hujuscemodi res non vocetur crisis, sed quod certante natura contra caussas morbos facientes ista non fiant, hoc demonstrare tentabit, non parum quidem etiam in hac parte delirans, propter admirabiles tumores atque meatus, quos ipse supposuit, quorum caussa neque novit potentias illas, quibus gubernatur animal, neque quod haec omnia ad salutem faciunt tam in sanis quam etiam in aegrotantibus, neque quod ipsae sunt, quae morbos judicant. In multis etiam saepius deliravit Asclepiades et quicunque non noverit naturam esse morborum medicatricem, neque unquam poterit modum salutis aut mortis praecognoscere."

Ex hoc loco satis conjicitur, quid negarit, quid affirmarit Asclepiades. Negavit naturam vim particularem in corpus humanum exserentem et vires facultatesque insitas, a materie diversas. Hinc quoque non potuit non negare naturam medicatricem in statu morboso. Negavit non signa judicatoria sive prognostica, sed dies illos, quos medici, tanquam tunc de aegris judicaretur, *κρισίμους*, judicatorios, nominabant. (Celsus. L. 3. c. 4). „Etenim non certo aut legitimo tempore aegritudines solvi (Cael. Aurel. cel. pass. p. 43). Liquet igitur per se, Asclepiadem ab eorum sententia stare nequisse, qua medicus sit naturae minister; imo vero medicum naturae effectus criticos exspectare non debere credidit, sed temporis opportunitatem magis ab artifice fieri posse, quam sua sponte, aut Deorum nutu venire. Quin etiam naturam in morbis non solum non prodesse, sed etiam nocere edixisse fertur. Cornel. Celsum autem ab Asclepiadis partibus hac in re stetisse, vel ex capite

4 libri III, quem de medicina scripsit, manifeste apparet, Hic Asclepiadem multarum rerum, quas ipse secutus sit, auctorem bonum appellat (Lib. 4, 3). Ceterum quamvis de morbi cruditate deque urina concocta loquatur, judicii tamen aut criseos nomen adeo reformidat, ut ejus loco finem morbi aut procedens tempus ponat, et pro *κρινεσθαι* solvi aut finiri morbum.

§. 7.

Galenus quid de crisiologia putaverit.

Methodo Hippocratica per Asclepiadis sectatores fere labefacta, Claudius Galenus, Eclecticorum princeps, Hippocratis crisiologiae defensor facundissimus Romae exstitit (circa a. 150 p. Chr.). Hic quidem, prognoseos facultatem maxime sibi vindicans, ab Hippocrate tamen omnia se accepisse confitetur. Equidem, inquit, omnia quae ad crisin attinent, vel futura praenoscere, vel jam praesentia dignoscere, non ex aliis principiis invenio, quam ex iis, quae supposuit Hippocrates (De cr. 3. 8). Ac crisim tunc temporis fuisse nonnullis subitam in morbo mutationem quamlibet, aliis inclinationem solam ad meliorem statum, aliis eam, quae antecedat agitationem, aliis integram omnem morbi solutionem, aliis eam tantum, quae bona fit, tradit, ipse tamen crisin simpliciter habet subitam morbi solutionem perfectam; defectam vero crisim statuit subitam morbi diminutionem, solutionem autem, *λυσιν,* vocat, quae longiori tempore et paullatim facta sit (d. cris. 3. 7.). Attamen omnem crisin post manifestam aliquam excretionem fieri. Hoc quidem eo consilio magni momenti est, quod Galenum omnino Hippocratis sectatorem fuisse

accipimus, ab Hippocrate tamen, crises sine excretione factas et positas esse, posteriori tempore asseveratum est (Ideler 1796). Signorum autem contemplationem modo ad urinas potissimum, modo ad sputa, modo ad alvi dejectiones dirigendam esse, prout febris aut pulmonum aut intestinorum morbus adsit. Studium tamen sibi proprium Galenus de natura critica diei XX deque differentia dierum criticorum post diem XX instituit. Posuit, lunae influxu, propter septem dierum periodum, quarto quoque et septimo die tales mutationum vicissitudines in morbis effici, ut quartus quisque dies *index* septimi sit, quo crisis fieret. Quaternionum circuitum autem voluit, ad periodos criticas, quae viderentur, irregulares explicandas. Neque tamen dies decretorios rectius ratiocinari secundum paroxysmos et circuitus morbi ipsius quam lunae denegat. Quam sententiam Jackson postea diligentius explicat.

§. 8.

Crisiologia medii aevi.

Arabes. Pythagoraei. Astrologi. Cardanus.

Medici graeci qui post Galenum extiterunt, velut Oribasius, Claudius Aelianus, Alexander Trallianus, Paulus Aegineta, nihil insigne de crisiologia praebuerunt. Posteaquam autem scientia medica in imperio Romanorum orientali et occidentali cecidisset, gens Arabum cum populis etiam scientias subjugavit. Verum enim vero cum fructibus maturis priscorum Graecorum et Romanorum vescerentur, commentationibus copiosis praecipue in Galenum medicinam insignem reddidere, proprio tamen ingenio theoriam medicinae nullo systemate auxerunt. Abrah. Abenesra de diebus decretoriis

scripsit opusculum (Edit. Lion. 1496). Ceterum etiam Muhammedes Rajensis, Ali Abbat, Abd' el Malek Ebn Zohr, Muhammedes Ebn Roshd teste Jackson (Jackson über die Fieber in Jamaika, übers. von Sprengel. 1796. S. 41, 225) de crisibus secundum Galeni rationem scripserunt. Medio autem aevo maximam partem non de crisibus ipsis agebatur, quippe quarum veritas absoluta et satis firma haberetur, sed de dierum criticorum periodis et caussis explicandis. In his quidem Amatus Lusitanus Pythagoraeicis dogmatibus ductus dies criticos ex harmonia *δια πασων* derivabat. Videlicet numerum VII longe praestantissimum esse, quoniam corpus ex quatuor, anima ex tribus constet elementis. Post septimum autem diem XIV gravissimum esse. Verumtamen Amatus etiam alios dies criticos ponit, qui ex Pythagoraeis numeris definiri fere nequeunt. Dies enim non solum XX et XXI criticos vocat, sed etiam contra Galenum veteresque omnes medicos diem sextum! (Amatus Lusitanus, tractat. criseos ad curat. medicinal. 1566. — Augerius Ferrerius de diebus decret. secund. Pythag. doctrinam. Lion. 1541.)

Alii vero medici Galeni opiniones secuti (de dieb. decret. III) et saeculi superstitione mystica capti, ex astrologia, solis potissimum et lunae influxu morborum mutationes septenarias ducebant. Lunae autem ad terram gravitationem, quam planetarum meatu et constellatione mutari rebantur, caussam dierum criticorum inter septenarios quosque dies habebant. In hanc rationem scripserunt Aug. Niphus (De dieb. critic. vel decretor. Venel. 1500. fol.), Lucas Gauricus (Axiomata super diebus decretoriis. Rom. 1546. — V. Bibl. M. Pr. Halleri

T. 2, p. 79), de Froset de Val (Ergo decretor. dier. caussa coeli aut lunae motus. Paris 1549), Claudius Diarotti (De morbis et diebus criticis ex astrorum motu cognoscendis. Lion 1557. 4 L.), Maginus (De astrologiae ratione et usu dierum critic. Venet. 1607). Contra vero illam opinionem Duretus ingeniosus exstitit (Non ergo critic. dier. periodi ab astris. Paris 1584).

Ac Cardanus quidem (de vita propria; Opp. Lion. 1663. Vol. X. p. 265) omnino Pythagorae theoriam secutus, novam quandam instituit ratiocinationem dierum criticorum explicandorum. Omne enim anni tempus in tres partes aequales divisit, quarum cuique dies 120 tribuit. Oritur autem hic numerus numero 40 ter posito. Numeri 40 dimidium indicat diem XX criticum! Numero tamen 7 ter posito oritur dies XXI ancipitis virtutis. (cf. Sprengel pragm. Geschichte der Medicin, ed. 3. V. 3. p. 311.)

§. 9.

Hieronymi Fracastori crisiologia.

Hieronymus Fracastorius (Opera omnia philosophica et medica. Venet. 1555. 4.) in libro, quem de caussis dierum criticorum scripsit, febrium materias quasdam posuit et ex earum influxu diverso diversos febrium paroxysmos duxit. Una enim febrium materia praevalente febrem simplicem fieri, neque ullos dies criticos animadverti contendit. Mixtis autem compluribus febrium materiis inter se, unaquaque unum effici paroxysmum. Bile flava febrem tertianam, bile atra quartanam provocari. Atram bilem semper inesse in corpore febri correpto sive manifestam sive occultam, inde quartanam quandam agitationem etiam in tertianis apparere! Bilis atra et flava

si primo die simul moveantur, quod haud raro in febribus acutis fiat, dies periodi quartanae hos esse, 4, 7, 10, 13. Effervente autem atra bile, non primo die, verum secundo, quod fere fiat in febribus modicis, has esse periodos quartanas: 2, 5, 8, 11, 14, 17, 20, criticos vero dies esse 11, 14, 17, 20.

Cujus opinionis adversarii exstiterunt Andr. Thurinus (defensio Hippocratis et Galeni de caussis dierum critic. adversus Fracast. Bonon. 1543) et Mich. Angelus Blondus (De dieb. decret. et crisi contra neotericos. Rom 1544. cf. Halleri Bibl. M. Pr. I, p. 519), quorum uterque siderum influxum in dies criticos defendit.

§. 10.

Saeculum XVII. Dubitationes. — Uromantia. — Certamina de crisium therapia.

Regnavit hucusque crisiologia in praxi. Praecipue vero et semiotice et therapia talis colebatur, quae pathologiae humorali et crisium doctrinae fere nimis responderet. Quare fieri non potuit, quin solo illo principio et dogmate plane et infinite adhibito ejus umbrae evidentius apparerent, arctique fines, intra quos tantum verum probabatur, perspicue elucerent. Nam semiotice degenerante in uromantiam et sphygmantiam mysticam occasio grata oblata est opponendi contra crisium signa fallacia et ambigua (cf. Bruno Seidel: de usitata apud medicos urinarum judicio 1562. — Guil. Ad. Scribon de inspectione urinarum contra eos qui ex qualibet urina de quolibet morbo judicare volunt. Basil. 1585. — Foreest contra uromantiam. Frcfrt. 1610). Atqui in therapia, cum imperfectas crises haud raro naturam moliri, docerent, studium increbuit crisium perfectarum medicamentis efficien-

darum. Inde abusus lethalis medicamentorum derivantium ortus est (cf. Marescot: Ergo licet diebus criticis vacuare. Paris. 1597. Chartier: Ergo critico die paritura catharsis. Paris. 1612. — Fellier: De venaesectione et crisibus. Venet. 1623. — Chicoineau: Ergo critico die tundenda vena. Montp. 1650). Cui tamen intentioni qui contra dicerent, non defuerunt. Naturae motum exspectandum die critico (Bazini. Paris. 1612), nihil movendum esse Hippocratico more et naturae soli esse morbos decernendi arcanum opus. (Jul. Millus. Venet. 1654). Modo autem hoc quoque rejiciebatur; crises omnino his seculis quam olim rariores esse le Vosseur (Paris 1639) putavit, quippe qui fere nullas observaverit crises; Cappon vero non unius naturae opus criseos esse asseveravit (Paris 1666). Quo factum est, ut multum certaretur et dubitaretur, num ea esset crisiologiae norma et veritas, cui in praxi semper fidendum esset. Verumtamen eum posita pathologia, quae dicitur, solidari humoralis pathologiae principia funditus everterentur, magnum cum librorum et dissertationum farragine exortum est certamen de crisium notione et virtute.

§. 11.

Certamina de crisiologia saeculo XVIII.

Rursus efflorere videbatur pathologia humoralis, priusquam plane rejiceretur. Etenim non solum Joannes Baptista Helmontius jam priori seculo vim illam vitalem, spiritum, quem ipse Archaeum, Boerhaave deinde enormon appellabat, coluit, sed etiam Sylvius de la Boe iatrochemicus humores cardinales statuit salivam, succum pancreaticum et bilem, quorum bini priores acidam, posterior alcalinam haberet indolem. Quin etiam

Fridericus Hoffmann, vigentibus jam Halleri et Cullenii theoriis, ad humoralem pathologiam vergebat. Morbosam mixtionem et humorum acrimoniam, veluti sordes primarum viarum ex motu partium solidarium quidem vitioso oriri fassus, proximam morborum caussam esse humorum mixtionem iniquam perhibuit. Similiter Christ. Ludovicus Hoffmann principium vitae vim partium solidarium irritabilem et sensiferam esse professus morborum proximam caussam crasin humorum alienatam esse docuit. Ac Maxim. Stoll morborum propiores caussas in irritamentis ab gastrica colluvie delitescere ratus est; Ernestus vero Stahl autocratiam et synergiam naturae in medendo imprimis praedicans fere similiter ac Paracelsus et Helmontius morbum processum vitae medicatricem esse pronuntiavit. Qui omnes igitur viri peritissimi sicut etiam Baglivi, Boerhaave, Moschenbroeck, Pringle, Ant. de Haën (qui tamen in dissertationibus suis de urinis et de sudoribus contradictiones Hippocratis ingeniose detexit) crisium doctrinam Hippocraticam tunc defenderunt. Sydenham vero castae et verae empiriae more hippocratico addictus dies criticos quidem in febribus observavit, crisium vero theoriam neque defendit neque negavit.

Atqui tamen jam ante Cullenium medici de vetusta crisiologia addubitaverunt, veluti Rich. Mead, Pechlin, Pitcarne, Macbride, Glass, Murry, Hamberger. Specialem autem disquisitionem de crisium doctrina medici Gallici instituerunt, quorum plurimi et dierum criticorum normam et naturae medicatricis vim plane negarunt. Inter hos Joan. Bapt. Aymen investigatione vere critica enitet (Dissertation dans laquelle on examine si les jours critiques sont les mêmes en nos climats,

qu'ils étaient dans ceux où Hippocrate les a observés. Bordeaux, 1752). Ceteri vero scriptores et libri huc spectantes hi fere sunt: Gervaise (An in morbis acutis soli naturae crises molienti fidendum. Paris, 1757), Girard de Villars (Ergo in morbis acutis non soli naturae crises molienti fidendum. Paris, 1757), Aug. Roux (Non in omnibus morbis natura coctiones molitur. Paris, 1761), Joann. Ant. El. de la Poterie (Ergo plurimi inter acutos morbi crises eludunt. Paris, 1765), H. J. Bagot (Ergo in praxi medica dierum criticorum doctrinae nimis fidere periculosum. Paris, 1771). At contra hunc quidem Franc. Maria Bosquillon dissertationem conscripsit, cujus hic titulus est: Ergo in praxi medica magni facienda est crisium observatio. Paris, 1772.

§. 12.
Cullen. Jackson.

Notabile est, Cullenium ipsum et crisiologiam et dies criticos enixe defendisse (cf. W. Cullen, synopsis nosologiae method. Edinbg. 1780. — W. Cullen, Anfangsgründe der pract. Arzneikunde. Lpz. 1800). Criticos dies hos esse statuit: 3, 5, 7, 9, 11, 14, 17, 20. Diem enim XXI criticum esse denegat, mendo tantum scripturae cum in Hippocratis libris reperiri asseverans. Diem vero XX criticum habet, quod periodus critica usque ad diem XI tertiana, postea vero quartana esse ei videatur. Utriusque periodi veritatem in experientia et in analogia paroxysmorum intermittentium positam esse. At diebus quoque, secundum theoriam non criticis, exacerbationes et mutationes criticas fieri posse, affirmat.

Quo tamen longe penitius Robertus Jackson in febribus observandis peritissimus de criticorum dierum

ordine disseruit. (R. Jackson über die Fieber in Jamaika Lpz. 1796). Qui omnino quidem Hippocraticam crisiologiam secutus Galeni tamen dierum criticorum explicationem (προςϑεσιν), nec non Cullenii periodum tertianam et quartanam rejiciens, dies criticos non diebus naturalibus, quales terrae rotatione fiant, sed periodis ipsius febris ratiocinandos esse contendit. Quarum caussam in revolutionibus certi numeri ponit, quibus efficiatur, ut febris denique judicetur. Procedente autem, inquit, febris typo et temporis tantum spatium antecipante, quanto post febrem absolutam horae XXIV componuntur, febris judicatur pari die, si terrae rotationibus, impari vero, si morbi periodis dies ratiocinaris. Ceterum in intermittentibus prope continuis periodum quandam septem dierum se observasse prodit. Mutationes criticas quinto quoque die observavit.

Inde difficultatem certae et stabilis normae dierum criticorum constituendae haud ita levem esse patet. Imo vero Testa (De vitalibus period. aegrot. et sanor. cet. Lond. 1787) collectis undique locis ex Hippocrate, Galeno, Boerhaave, Fr. Hoffmann, Forest aliisque crisin fieri posse declaravit unoquoque morbi die, a primo usque ad ducentesimum. Quo facto opportunitas quoque et utilitas crisiologiae in statuenda prognosi secundum mutationes illas criticis diebus evenientes valde suspecta et dubia reddita est.

§. 13.

Crisiologiae reformatio secundum I. Chr. Reil.

Germanorum medicorum illustrissimi Chr. Reil, C. W. Hufeland, Fr. G. Ideler crisiologiam adhibita irritationis theoria tractantes reformidarunt. Ac Reil qui-

dem, licet terminologia vetusta utatur, tamen adversarius magis quam defensor crisiologiae videtur. In memorab. clinic. Vol. II. fasc. 1. p. 153 crisin appellat omnem motum violentum in morbo repente apparentem; actionem autem vis vitalis morbi tollendi caussa ex parte periodicam succedere. Materia vero ut secernatur in crisi minime opus esse. At criticas secretiones signa potius et eventus esse, quam caussas crisium. — Quae omnia in pathologia generali (Halae 1816. T. II. p. 16, 36.) uberius explicat. „Tota doctrina, inquit, de morborum solutione et crisi fallaci judicio semper tractata eamque ob rem nondum maturata est. Nam in pathologiae humoralis falso theoremate eadem sistit, quo irritamentis alienis sine ulla organismi laesione interna morbos oriri contendunt. Medici crudum aliquid et intemperatum in corpore aegrotante inesse rati, morbos ipsos habebant motus salutares, quibus humores pravi concoquerentur et cocti e corpore dejicerentur. Qua theoria ductus van Hoven febrem appellavit motum naturae exspuentem. Totam vero coctionis et criseos theoriam pravam esse his fere elucet argumentis:

1. Materias peccantes omnino esse, quibus omnes morbi efficiantur, empiria saltem non constat.

2. Materiae quae tempore solutionis excernuntur, residua sunt processuum antecedentium, producta non caussae morborum. In intermittentibus exeunte paroxysmo sudor criticus et urina secernitur, Chinae vero cortice dato omnia, quae deinde secreta forent, retinentur, nullo aegri incommodo aut damno. Saepius etiam fit, ut morbus post excretiones non solvatur, verum adeo augeatur. Quod tamen si acciderit, materias illas non coctas fuisse dici solet. Verum tamen materiae si revera

sunt morbi caussae, nonne aequum est, sive crudae sive coctae edantur, dummodo dejiciantur?

3. Multi morbi sine ulla crisi et excretione finiuntur, velut inflammationes, neuralgiae, spasmi, epilepsia, catalepsis, aut praecedentem solutionem excretio sequitur. Ceterum eam ob caussam in morbis plurimis excretiones fiunt partim quod organi morbo affecti secretio alienata est, partim quod resuidi vitae processus anomali adsunt. Quapropter mirum non est, quod in febribus urina mutatur. In organi cujusdam secernentis morbo functio ipsa anomala, secretum alienatum sit necesse est.

4. Sanissimi quique homines et validissimi febribus atrocissimis quatiuntur, verum aegri chlorotici, cachectici, scorbutici, venerei, quibus humores acres inesse supponere solemus, raro illis naturae motibus tentantur. Contra vero vulneribus, refrigerio, animi concitatione, quibus nullus humor acer certe inest, febres oriuntur.

5. In quem tandem finem motus illi atroces naturae, paroxysmi illi haud raro lethales? An ut materia peccans coquatur, priusquam dejiciatur. Atqui Rheum sumptum aut Ipecacuanha, cibique crudi recta dejiciuntur, neque antea coquuntur. Cur tandem materias quoque crudas natura expellere non valet? Verum expellit. Vitrum enim cuti intusum sensim expellitur crudum, non coctum.

Quibus omnibus argumentis evincitur, illam morbi theoriam falsam atque totam de coctione et crisi opinionem nonnisi hypothesin vanam esse.

Quae vero ipsa crisis sit, Reil his fere rationibus adumbrat. Criseos verbo vix quisquam, qui pathologiam humoralem profitetur, solum acmes. stadium significat, sed potius processum quendam, qui extra morbi decursum positus de eo judicet et morbi caussam materialem

e corpore ejiciat. Qui tamen processus si revera existeret, in naturae vi medicatrici ponendus esset. Atqui naturae vis medicatrix non est propria quaedam vis, sed omnium organismi virium connexus, quo efficitur, ut vires aegrae ipsae simul salutares, medicatrices sint. Totus sanationis idem est ac vitae processus in certum quendam finem, i. e. morbi solutionem, adhibitus, et plane alius quam quem medici in coctione et crisi vulgo cogitent. Isti quidem propriam naturae vim medicatricem ponentes naturam in crisibus m. acutorum purgationibus aliisque excretionibus imitandam esse. Ac in hepatitide se solvente biliosa saepe excrementa dejiciuntur. Attamen quis naturam imitaretur, quis morbum tolleret, qui hepatitidem purgando sanandam statueret?

Hinc quidem elucere videtur, humoralem pathologiam et crisiologiam vetustam a Reil plane rejici. Attamen crisium, cruditatis et coctionis nomina servare visus est, suppositis quidem notionibus longe aliis, quam quae prius exstiterunt. „Nam incrementum morbi, inquit, est cruditatis stadium, decrementum vero est stadium coctionis. Porro morbi modica quadam actionum energia judicantur. Modum vero qui tenet morbus, appellatur coctus, qui superat aut intensitate eget, crudus." — Ac crisium et earum moliminum virtutes eo modo praedicat, ut totam crisiologiam, excepta sola materia peccante, accipere videatur. Crises, inquit, satis fortis esse debent, nam debiles non judicant, fortiores paralysin provocant. Guttae tantum paucae sanguinis in inflammationibus acerrimis secretae nihil judicare queunt, nimia vero haemorrhagia, diarrhoea, sudore, aeger viribus eis privatur, quibus in convalescentia eget. Quarum tamen secretionum modus non absolutus et omnino certus, sed pro morbi et aegri

indole varius est. Secretionem ex ea parte fieri oportet, quae parti aegrotae recta respondeat, velut in hepatitide sanguis e dextra nare stillare debet. Secreta vero materia cocta, non cruda sit. Atque haec quidem symptomatica, illa critica appellatur. Distinctio horum stadiorum secundum signa difficilis est. Saepe enim morbo increscente, quin etiam lethali, urina, quae videtur critica esse, excernitur.

De dierum criticorum norma subdubitare videtur Reil. Suntne revera, inquit, dies critici? Ac summi quidem medici eos esse affirmant. Equidem in nostris febribus constanter remittentibus typum tertianum observavi ut paroxysmi fiant diebus 3, 5, 7, 9, 11, 13. Ceterum Reil dies indicantes se numquam observasse confessus, eos plane repudiat.

§. 14.

Illustrissimus Hufeland crisiologiae a Reilio modificatae maximam partem assentitur. (Ideen über Pathogenie. Jena 1795). Morbus, inquit, virium vivarum reactio est contra stimulum morbi. Ac contra hanc quidem theoriam, qua causa ejus effectu tolli putatur, Henle novissimo tempore disseruit. — Cum autem morbi reactio tamdiu perduret, quam stimulus aut ejus perceptio fiat, morbus tam diu durabit, quam aut naturae vi caussae morborum, aut caussis morborum naturae vires non superatae erunt. Reactio autem hoc spectat, ut sanationem restituat. Ac vis medicatrix naturae eadem est, qua res omnes crescunt et vivunt; eadem vis qua morbi stimulus concipitur, eadem, qua superatur. — Stadium incrementi appellatur stadium cruditatis in quo stimulatione *humores* et omnis materia *depravantur*. In stadio coctionis sive decrementi fibrina irritabilis perpetua irritatione

partim debilitatur, partim irritationi assuefacta est. Ipsa morbi materia, sive primaria sive morbo effecta, corpori assimilatur et magis homogenea fit. Quibus mutationibus efficitur, ut virium aequabilitas restituatur et id, quod nocuit, excernatur. Haec est crisis, sive restitutio sanationis! Si vero reactione effici nequit, ut morbus remittatur et judicetur, cruditatis stadium usque ad exitum lethalem manet.

His rationibus Hufeland crisiologiam a natura abstractam, primum pathologiae humorali conformatam, nervorum pathologiae bene convenire et irritationis legibus veram et certam reddi putat. — Ideler quoque in dissertatione quam de crisibus (Lipsiae 1796) conscripsit, Reilii et Hufelandii crisiologiae reformatae assentitur. Crises immateriales in neuralgiis esse statuit; materialibus autem crisibus eas excerni materias, quae partim primariae morbosae in corpore adfuerint, partim functionibus laesis productae sint.

§. 15.

A. Henke.

Irritationis potissimum systemate Browniano disputationes illae de crisibus ortae sunt. Ad quas fortasse explicandas Universitas litterarum Goettingensis (1803) disquisitionem proposuit de crisium doctrinae in artem medicam influxu. Guil. Liebsch in libro praemium adepto (Commentatio de crisibus cet. Goett. 1803) crisiologiae a Reilio reformatae assentitur. Inde tamen multae disquisitiones ortae sunt, in quibus enitet Ad. Henkii oppositio contra crisiologiam (Ad. Henke, Darstellung und Kritik der Lehre v. d. Krisen. Nuernb. 1806). Has quidem contra crisium theoriam affert rationes:

1. Jam ante Brunonem medici ingeniosi pathologiae humorali fidem derogarunt et primam omnium morborum caussam in partibus solidaribus vel nervis positam esse rati, humores nervis morbo affectis depravari contenderunt. Quod tamen irritationis theoria evidentius evictum est. Verum enim vero cum demonstratum sit, humores pravos, quibus materiam peccantem inesse medici Hippocratici affirmarunt, numquam morborum caussas proximas, sed potius eorum effectus esse, et inde summum secundarie agere posse, sequitur, ut humoribus illis depravatis et secretis nec caussae morborum nec ipsi morbi tolli possint.

2. Si febres revera motus naturae medicatricis essent, nulla febris sine excretione solvi posset. Atqui tamen et Hippocrates et Sydenham febres esse affirmarunt, quae sine ulla excretione finiantur.

3. Etiamsi excretiones febrium solutioni plurimum praecedere assentiri velis, nondum sequitur illico, excretiones esse caussas solutionis. Etenim excretiones ipsis criticis diebus saepe observantur cum nulla aegri sublevatione, nulla febris solutione, quin etiam cum morbi statu pejori. Quod quidem si fit, opponi solet, materias secretas non coctas fuisse. Attamen quod signum certum coctionis afferunt crisium defensores, nisi ipsum meliorem statum et sanationem.

4. Dierum criticorum norma inter eos ipsos qui observarunt, non constat.

5. Nullum signum est certum et objectivum excretio quaedam sitne symptomatica an critica.

Ceterum crisium theoria haec mala effecta esse Henke putat: Prava pathologiae humoralis theoria maxime crisiologiae ope divulgavit. Nimia fiducia inde orta Hippo-

crati et Galeno habita liberam disquisitionem abduxit. Cum naturae medicatricis motus semper exspectaretur agendi nimia cessatio inter medicos increbuit. Contrariam vero partem alii medici secuti secundum eandem quoque crisiologiam medicamentis derivantibus purgantibusque abusi sunt. Certamina de dierum criticorum typo, de medicatrici naturae vi, mysticam quandam animorum superstitionem coluerunt. Totius crisiologiae utilitatem vanam esse Henke putat. Si quis omnino vitalitatis et cujusque morbi symptomatum rationem sincere habuerit, certius et facilius, inquit, sanationem is efficiet, quam qui secretionibus criticis semper confisus erit, quae bonae an malae, salubres an noxiae sint, ex eventu tantum cernere licet.

§. 16.

Ac recentiori quidem tempore crisium defensores summae auctoritatis exstiterunt, velut Landré-Beauvais, J. Copland, Kreyssig, Berends, Schoenlein. Cui autem notatu dignum videatur, quod ii potissimum medici, qui felicissima praxi inclaruerint, crisium observationem summi momenti esse affirmarint, reputare is debet, crisium observatione nihil aliud jam significari, quam symptomatum cuique morbo propriorum observationem, quanta ad secretiones pertineat. Atque a Landré-Beauvais (Diction. des sciences médic. Paris, 1813. VII, 370) et qui eum secutus est Jam. Copland (Encycl. Wörterb. der pr. Med. Berl. 1835. II, 444) hoc fere systema excretionum, quas criticas nunc vocant, compositum est. Cognoscuntur crises

A. in cute. 1. sudore; velut in febribus continuis et biliosis, in pneumonia, hepatitide, bronchitide, rarius in anasarca et rheumatismo. 2. exanthematibus, velut

miliaribus, purpuras. At erysipelas, petechiae symptomata tantum, teste Copland, sunt, aut morbi verae partes.

B. In systemate telae cellulosae. 1. tumoribus variarum partium, velut in febribus atactis et gastricis et in exanthematibus. 2. furunculis et carbunculis, velut in variolis. 3. pustulis et excoriationibus gangraenosis, velut in febribus malignis typhosis, adynamicis. 4. puris depositione cum horripilatione, quin etiam rigore.

C. In glandularum systemate: 1. bubonibus criticis, velut in febribus pestilentialibus. 2. parotidum tumore; signum anceps in febribus malignis continuis. 3. salivatione, qua crisis in febribus a. 1667 et 1668 a Sydenham observatis facta est; rarius in febribus biliosis et gastricis. 4. urina, velut in acme febrium et inflammationum; in typho tamen ancipitis momenti.

D. In membranis mucosis. 1. excretione aucta narium; 2. bronchiorum; 3. ventriculi (vomitu). 4. Diarrhoea in omnibus fere morbis acutis, in hepatis aut lienis congestione et inflammatione, in hypochondria, in melancholia, in rheumatismo, in arthritide, in hydrope incipienti. 5. exhalatione sanguinolenta, aut normali fluxu haemorrhoidum, vel menstruorum (in febribus, inflammationibus, pneumonia, hepatitide), aut haemorrhagia narium. Hanc epistaxim sive parcior sive copiosior est, Copland anceps symptoma esse asseverat, nisi modo sanatio aut melior status sequatur. Quaeritur iterum atque iterum, unde tandem criseos, sive judicationis nomen, cum nihil de statu futuro inde judicare liceat. Certe plethora indicatur. Ac haemoptysin, haematemesin, metrorrhagiam, haematuriam, infaustas sive pseudocrises plerumque esse, Copland asseverat. Verumtamen cur pseudocrises? Symptomata certe sunt magni momenti in febribus ady-

namicis, malignis, in variolis confluentibus, in scarlatina, in scorbuto. — Ceterum crises immateriales per nervos factae, velut somnus in delirio tremente, a Schoenlein statuuntur.

§. 17.

Henle.

Illustrissimus C. Canstatt in pathologia speciali (T. I, p. 113) inveteratam crisium doctrinam reformandam esse dicit. Attamen illa, quantum potuit, fere reformata est eoque jam pervenit, ut nihil nisi semiotice exacta secundum principium aliquod composita cum pertinaci criseos nomine sit. Videlicet humores jam diu negatos esse, materias peccantes sublatas, excretiones criticas non caussas sed effectus sanationis esse, et dierum criticorum normam esse typi periodum intermittentium, historia crisiologiae jam nos docuit. Restare tantum videtur, ut medicatricis illius naturae vis, reactionis illius criticae ad utilem sanationem accomodatae opinio, jam a Reilio maxime modificata plane auferatur. At in hunc quidem finem et docuit et scripsit ingeniosus J. Henle (Handb. d. ration. Pathol. Braunsch. 1846). Mystico illo, inquit, tempore morbus tanquam ens quoddam, diabolus in organismo, habebatur cui naturae medicatricis angelus opponebatur. Inde opinio, qua morbum certamen quoddam esse inter materiam peccantem et naturam judicabant, profluxit.

Quod autem ad morbi sanationem attinet, ea duplici modo fieri potest, aut artis ope aut sine illa. Hae autem sanationes spontaneae his modis peraguntur:

1. Si vitae actio morbosa a re noxia quadam efficitur, semper aequabiliter agente, morbi tempus et status respondet tempori, quo caussa viget. Igitur in quolibet scabiei stadio morbus interemto acaro tollitur. Quoniam

tabanus larvae tantum statu manet in animantium organismo, et quod hicce larvae status typice finitus est, symptomata morbi inde orti auferuntur etiam sine artis ope. Pari modo morborum contagiosorum et miasmaticorum decursus typicus est et finis spontaneus ex typica evolutione caussarum pendet.

2. Si autem morbi caussa non est primaria, sed organorum functionibus alteratis et mutatis jam secundarie organisationis statum morbosum efficit, sanatio ex functionum inde motarum et alienatarum indole et via pendet. Quod si acciderit, sanatio fieri potest aut necessaria directaque aut fortuita et indirecta. Directa fit, si organi alicujus plethora laborantis vasa sanguinis impulsu rumpuntur et cum ipso sanguine emisso congestionis et caussae et eventus auferuntur. Quod in capitis plethora aut epistaxi aut apoplexia cerebri fit. Atqui epistaxin medici crisiologi vi naturae medicatrici vindicant. Cur non apoplexiam quoque? Scilicet in utroque casu idem processus est, idem caussarum nexus cum factis.

Indirecta tamen et spontanea sanatio fit, si organo morboso aliud organum per sympathiam irritatur, quod secundum functionis indolem illas caussas et morbi conditiones mitigare aut removere valet. Hoc fere fit, si membrana, re aliqua noxia sive foris illata sive in corpore procreata irritatur, ut musculorum contractiones sympathicae fiant, quibus res noxia removetur, aut si irritatione in secretionis organum aliquod agente secretio uberior redditur, ut ea via irritatio derivetur.

Ac in his quidem factis certe non est, cur vis aliqua medicatrix naturae supponatur, quae irritationem aut morbum totum tanquam ens quoddam impugnet. Medicatricem vero naturam animus humanus imbecillitate et egoismo

captus statuit. Divas enim et aeternas naturae leges, quarum necessitate omnes coërcemur, hoc tantum spectare egoismus putat, quod suis votis, quod humanae naturae convenire sibi videatur. Atqui non vita solum et valetudo, sed quam mortem et extinctionem vocamus, ea omnia processu illo, sive vitalem sive lethalem appelles, pari modo efficiuntur. Porro autem imbecilli humani animi est, caussam quidem illorum processuum ignorare, verumtamen id, quod eis effici debeat, pernoscere. Ad illud, quod efficiendum esse putant, modo si semper efficeretur! Modo si omnis reactio contra injurias organismo noxias esset salubris! Quis autem est, qui praeclara illa naturae medicatricis vi salubre quidquam effici contenderit, quae aurem contra aëris injurias undulationum serie, melodia, oculos contra plagam fulgore subjectivo defendat.

Ceterum nihil prodest asseverare illam vim medicatricem eandem quam vim plasticam in statu sano semper agentem esse, quoad illa quidem tamquam genius, supra materiam pendens et ad omnem organismi laesionem cum ipsius corporis viribus reprimendam promptus, fingitur. Verum sua cuique parti facultas certa et circumscripta est, attractis vitae stimulis et in suam substantiam versis typice adolescendi. Illa quidem facultas externo influxu ad tempus auferri, invalida reddi, aut aliorsum dirigi potest, attamen irritatione exteriori ad normam reducta vis ejus primo agentis conditio restituitur, quae irritationis impetu non praesidio et defensione corporis excitata, sed potius ejus detrimento a functione sua abalienata erat. Sublata igitur irritatione conditio restituitur qua vis illa immanens secundum totius organisationis leges agat. Omnis reactio est morbi symptoma, sanatio vero quiete et virium restitutione irritationem secuta efficitur. Cete-

rum praeter illam vim, qua statu morboso fit, ut individuum servetur, quia omnino ad servandam vitam agit, sympathia quoque et antagonismus caussas noxias saepe removere valent. Porro ipsis symptomatibus, quae re noxia oriuntur, sanatio saepius fortuito efficitur. Nimirum opportune accidit, ut, ventriculi membrana mucosa irritata, vomitus et glottide irritata, tussis provocetur, nam interdum certe sympathicis illis motibus materiae noxiae ejiciuntur. Quo tamen in casu symptomaticus motus aeternus, lege sanctus est, utilitas fortuita et adventitia. Etenim non omni veneno vomitus, non omni gase nocituro tussis oritur. Contra tussis adest in tracheae inflammatione superficiali, priusquam aliquid adsit, quod exspuatur, et tartaro emetico in venam injecto vomitus inutilis perficitur. Utinam, inquit Henle, medica saltem ars renunciaret praxi illi funestae et lugubri, qua capti homines tum divinae sapientiae sibi ipsi consentienti vagam humanam astutiam supponunt, tum quae quidem apte convenerint, numinis fautoris nutu facta esse evidenter perspicere sibi videntur, quae vero infausta acciderint, ea numinis consilio impenetrabili vindicant. Aut utramque rem explicare valemus aut neutram. Si qua vi interdum tantum secundum theoriam a nobis ei suppositam aliquid agitur, eo ipso probatur, nos perverse eam interpretatos esse. Altiori vel ampliori igitur lege, qua fortuito tantum quae optamus evenerint, coercetur.

Quae vero et empiria et reflexione contra crisium dogma opponi possunt facta, Henle ea plerumque recitat, quae jam antea a Reilio et Henkio prolata sunt. Etenim saepe excretiones copiosas et quae criticae viderentur, sine ullo symptomatum successu animadversas esse, neque defuisse morbos, qui sine ulla excretione

critica soluti essent. Inter 130 pneumonias, quae solvebantur, 34 tantum ea signa praebuerunt, quae critica haberi solent (Zeitschr. für ration. Medic. T. 1. p. 269). Frequentissima fuerunt sedimenta ex salibus uricis, quae tamen eo tempore tantum, quo convalescentia jam tuta fuit, observabantur. In typho aliisque febribus urina sedimentosa et ante mortem et ante convalescentiam secundum Becquerel observatur, et eo tantum modo, quod nonnullae febres ad sanitatem magis quam ad mortem tendant, evenit, ut urinae sedimentum haberetur indicium sanationis. In pneumoniae stadio summo sedimenta uberrima inveniebantur et diminuebantur, cum inflammatio cessaret. Noli dicere, diminutionem ipsam esse crisin, cum crisis secundum pathologiam humoralem materialis et locuples esse debeat. At diminutionem illam signum esse inflammationis cessantis, et ii concedere possunt, qui crisium dogma plane negant. Omnino organicae materiae functio externo influxu aut augeri aut diminui potest. Ac depressionem quidem nemo dubitat quin alteratae materiae effectui tribuat. Functionem vero excitatione alterationem primariam vinci posse, contenditur. Videlicet caussam cum effectu suo certare et illam eventu suo tolli posse faustis auspiciis, asseverant.

Novissimo tandem tempore H. Lotze (Allgem. Pathol. u. Therap. Leipz. 1848) cum pathologiam omnem tum crisiologiam tamquam materiae vicissitudinem mechanices legibus minus apte explicat.

§. 18.

Quid tandem judicii addere valemus? *Ὁ βιος βραχυς, ἡ δε τεχνη μακρη, ὁ καιρος ὀξυς, ἡ δε κρισις χαλεπη.* Verumtamen in hac crisiologiae historia et explicationem et judicationem involutam esse fortasse apparet. Magna

hac de re disserendi facultas semper oritur ex varia crisium notione. Alia certe est crisium theoria, alia signorum morbi observatio. Hanc vero candide colendam esse in quoque morbi stadio, quis est quin affirmet? Quidnam perficit dogma pulchrum, quidnam hypothesis placens ni pectus adsit consilii potens, ni plena rugis experientia, ususque naturam secutus, quid facias, moneant in aurem.

VITA.

Ego, Adolphus Carolus Feit, die quarto m. Decembris anno hujus saeculi vicesimi secundi patre Friderico Guilelmo Feit, matre Eva Maria e gente Freudenberg natus, fidei evangelicae addictus sum. Parentibus decem annos degens praematura morte orbatus sum. Litterarum elementis in schola urbana imbutus gymnasium Berolinense Leucophaeum adii, quod tunc Direct. beato Koepke florebat, postea sub auspiciis beati Ribbek. Testimonio maturitatis munitus anno hujus saeculi XLIV civibus almae hujus academiae ab Ill. Lachmann t. t. rectore magnifico adscriptus apud Ill. Busch t. t. decanum spectabilem ordinis medici nomen professus sum.

Hisce lectionibus per primum annum interfui:

De encyclopaedia et methodologia medica Ill. Hecker; de osteologia Ill. Schlemm; de chemia anorganica Ill. E. Mitscherlich; de chemia analytica Ill. H. Rose; de botanice Ill. Kunth; de galvanismo Ill. Magnus; de anatomia theoretica Ill. Mueller; de zoologia Ill. Lichtenstein; de splanchnologia et de organorum sensuum anatomia Ill. Schlemm; de chemia organica Ill. E. Mitscherlich; de physice Ill. Dove; de physices et chemiae historia Ill. Poggendorff; de philosophiae historia Ill. Michelet.

Deinde academiam Ruperto-Carolinam Heidelbergae florentem petii et ab Ill. Vangerow prorectore civium academicorum numero adscriptus disserentes audivi:

Ill. Henle de physiologia et de pathologia generali; Ill. Bischoff de botanice pharmaceutica et de pharmacognosia; Ill. Roeth de systemate philosophico Hegelii et de logice; Ill. Tiedemann de musculorum anatomia, idem me docuit artem cadavera rite secandi.

Berolinum autem post annum redux et ab Ill. Trendelenburg t. t. rectore magnifico civibus academicis adscriptus nomen professus sum apud Ill. Hecker t. t. ordinis medici decanum spectabilem. Deinde his lectionibus adfui:

Ill. C. G. Mitscherlich de materia medica et de medicamentis excitantibus; Ill. Mueller de anatomia comparata; Ill. Romberg de pathologia et therapia speciali, per annum; Beat. Horn de pathologia speciali morborum mentis; Ill. Juengken de chirurgia speciali et de corporis humani laesionibus; Ill. Schmidt de arte obstetricia; Ill. Hecker de medicinae historia. In clinicis exercitationibus duces mihi fuerunt Ill. Wolff, Beat. Dieffenbach, deinde Cel. Angelstein, Ill. Romberg, Ill. Juengken.

Quibus cunctis viris, optime de me meritis gratias quam maximas habeo semperque habebo.

Nunc vero tentaminibus tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Ex crisiologia pathologia humoralis prodiit.
2. In renum morbis cerebri ratio habenda est.
3. Intermittens est morbus cutis.
4. Albuminuria non morbi Brightii solius signum est.
5. Doctrina una tantum est, rerum naturalium.